

Pater Filium immensis oneratum sceleribus aspiciens, suum illi denegabat  
conspicuum. Spiritus S. ~~in~~ exosam peccati immunditiam in Christo  
scens, tanto erga illum odio flagrabat: ut plane abiectionem se sentiret. Quare  
cum in crucis arā totam iram divinam in se effusam animadverteret,  
non alia, nisi irati Dei facies, facies acerrimi humanorum delictorum vindicantis  
ante oculos obversaretur, luctuosissimam hanc de ingenti sua miseria et ha-  
millimā sorte querelam ab ore mortuosissimo fundere audiebatur: Deus, Deus  
quare me dereliquisti! O vocem certissimam dolorum internorum testem!  
Quid multa? Nihil magis exosum, magis afflictum, magis deformatum,  
magis contusum humanā in Christo tunc temporis erat natura. Imo, quod  
auditu horridum, aspectu fœdum, dictu asperum, Maledictum in maledictio-  
noso Deus-homo evaserat. Audi itaq; Plato, audi Aristoteles: adeste  
Peripatetici, adeste Stoici, adeste Epicurei; arrigite aures, quibus cumq; Phi-  
losophia fecit nomen, ac solvite mihi hunc Logogrÿphum: Amavit ali-  
quis seipsum, et non amavit. Amavit, et odio se habuit. Α'δ'avalov, α'λο-  
cov esse uno ore omnes clamabitis. Non α'δ'avalov, non α'λοcov est. Ma-  
jus tamen est: quam ut subtilissimo ingenii acumine penetrari, ut verbis  
explicari possit. O si vos insanientis Sapientia consulti, saperetis tandem,  
nobisq; Christianis crederetis, qui longe aliud e sacris sacrarum litera-  
rum Pandectis edocti sumus; potentissimos istos affectus, iram et odium  
in unā personā Christi coire potuisse, in unum et ipsos (actū) coivisse. O  
admirandam summi amoris et summi odii in Christo Deo-homi-  
ne Concordiam! O temperamentum gratia ac Iustitia divina in-  
enarrabile! Nos in hac intuiti miranda in diversos rapimur  
affectus, et nunc dolore afficimur, nunc letitia reficimur! Est mors  
unum, nescio quomodo, mixtum e miseria & gloria, aptum ex  
letitia et dolore, factum ex secundis et adversis, concretum ex inferis  
et superis. Patitur et moritur Christus: ibi miseria. Patitur et  
moritur Victor: ibi gloria. Animam emittit: ibi adversa. Animam  
ad Paradisum transmittit, ibi secunda. Christus inclinat caput, bene  
inferorum morsum spectas. Christus subvertit inclinando: Haec  
supera Majestas est. Christus moritur: ex hoc dolor est. Christi  
mors nobis vita est, ex hoc letitia est. O admirandum rursus  
e dolore et letitia in nobis harmoniam. Tanto autem plus haec  
mors Christi admiranda in se miraculi continent, quanto plus  
emolumentum. Dabitur proinde veniam, Auditores, vobis forte non  
indebitum, mihi gratam et acceptam: ut uno saltu e tertio hoc ramo  
in ultimum illum, qui quartum Orationis meae membrum constituit,